



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egrae, 1689

Problema XXX Qualis vox olim Joannes fuerit, & quales defactò voces sint
homines? Dominica III. Adventus Ego vox clamantis. Lucæ 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XXX

Qualis vox olim Joannes fuerit, & quales defactò
voces sint homines?

DOMINICA III. ADVENTUS

Ego vox clamantis. Lucæ 3.

§ 1.
Universæ
Creaturæ
Sunt voces

I. Cor. 14,
v. 10.

Dicitissimis Philo, posteaquam subtiliter de Divino sex dierum opere disseruisset, quasi pro complemento absolutissimam illius molis, unicam aliquam vocem pro universo diffusam desideravit, quæ DEO debitam diceret panegyrim. Laudetur DEus, qui tam bene omnia fecit! Sed, quam Philo desideraverat vocem, hanc illo sapientior Paulus observavit & deprehendit, dum Creaturas omnes vocales & lingvâ prædictas nominavit. *Multa (inquit) genera linguarum sunt in hoc mundo, & nihil sine voce est.* Nam teste Psalmistâ Psal. 18. *Cœli enarrant gloriam DEI. Vocem dederunt (& usque modò dant.) nubes,* Psal. 78. *Flumina quoque elevaverunt vocem tuam.* Habac. 3. *Dedit vocem suam terra.* Psal. 92. Denique, canente Ausonio: *Nil mutum Natura dedit.* Et sanè si prorsus elingyes agnoscet David Creaturas irrationalies inanimatas, cur eas ad laudandum DEUM toties invitasset? maximè Psal. 148. *Laudate Dominum de Cœlis &c.* Laudant equidem, & in se ipsis DEI Potentiam, Sapientiam, Bonitatem, & Pulchritudinem omnibus commendant; Juxta illud S. Au-

gust. lib. 13. Conf. *Ecce Cœlum & terra clamant: facta sumus. Tu Domine fecisti eā, quia pulcher es; pulchra sunt enim, &c.* Quid jam dicimus de homine, Creaturarum visibilium facile principe? O! quanta iri hoc solo vocationis diversitas! quanta lingvarū varietas! cùm unaquæque Natio alio atque alio utatur sermone; Ut non immeritd *Homo* in Latino duplici vocali O. O. & M., quæ semi-vocalis est, exprimatur; ad significandum credo, hominem totum debere esse in mundi hujus deserto, quemadmodum Joannes erat, *Vocem Clamantis.* Quod si sita est, videamus primò, qualis olim Vox S. Joannes fuerit? secundò, quales defactò voces sint homines?

Prænotandum, triplicem homini esse vocem: Una, est *Oris*, altera *Cordis*; postrema tandem *Operis.* Quod primam *Oris* vocem attinet; sua inter Philosophos quæstio, ea- que controversa est. Stoici volebant esse percussum aërem. Democritus sonum in aëre excitatum. Alij, fluxum verborum ex ore fluentium, & ad se invicem allidentium, ut solent undæ. Aristoteles melioris Philosophiæ ocellus, ait esse sonum animalis ore prolatum. Et hæc prima hominis vox est. Sed

§ 2.
Triplices
hominis
voce est.
Oris, Cœr.
dis, Operis.

& altera, quæ *Cordis* dicitur; hoc enim subinde auditum est loqui. Certè hoc, quo vivimus ævo, P. Rochus Gonzalez Soc. JESU, fidei & Religionis causâ à barbaris capite plexus, auditus est ab illis, ex imo corde voces edere, & quidem articulatas, quæ ijs immanem cordis duritiam exprobrabant; quod hominem, qui ab extremo orbe, eorum salutem quæsiturus, venerat, capite minuissent, vitamque mortalem ei abstulissent, qui immortalem illis allaturus venerat. Sed hoc recentioris est memoriæ; demus alterum antiquioris. S. Mechtildis superis chara JESUM audivit, hæc ad se corde proloqui: *Veni amica mea, soror mea, sponsa mea; veni posse paratum à me tibi regnum.* Cui & ipsa corde respondit: *Dilecte mi, sponse mi; Ecce me!* Manet ergo cor humanum subinde loqui, & in voces abire. Sed cum miraculo inquires: non abnuo, verumtamen etiam illi sua vox, & quidem finè miraculo est; Vox inquam, amoris atque affectus pij, quâ cum DEO loquitur. Juxta illud Davidicum: *Eructavit cor meum Verbum bonum.* Psal. 44. Postrema vox est *Operis*; de qua ita D. Cyprianus L. 2. de Martyr.: *Habent opera lingvam suam; habent facundiam suam, etiam tacente lingvâ.* Hæc paucis de triplici illa voce, à qua olim in Orbe Judaico insonuit non solum ore sed æquè corde ac opere Magnus Baptista, imò insonuererupes quoque, & nemora.

§ 3.
Joannes
fuit vox
Oris, Cor-
dis, & O-
peris Luc.
3. v. 3.

Primum ab oris voce; fuit enim vox clamantis in deserto: *parate viam Domini: rectas facite semitas eis.* Ecce! quæ vox ab illius ore fluxit; quæ concio ad frequentem populum, dum esset *predicans Baptismum pœnitentia.* Quem ut Auditoribus persvaderet, ad vocem

oris addidit & *cordis* affectus, piōsque motus, è quibus effervesceret cor, ebulliret, eructaretque illud adversus obdurata capita, Lucæ. 3. *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?* Vis aliam *cordis* vocem, eāmque demissiōnis? audi quid de Christo dicat. Marci I. v. 7. *Venit fortior me post me, cuius non sum dignus procumbens solvere corigiam calceamenti ejus.* Vis & aliam fidei testem, atque indicem Messiae? Excipe, quid de illo: *Ego Baptizavi vos aquā, ille baptizabit vos Spiritu Sancto.* Ecce *cordis* voces! Excipe & *operis*, similique illud Evangelistæ: *factum est Verbum Domini super Joannem Zachariæ filium.* Cur inquires, in deserto *factum*, ac non potius *dictum*? sanè *Verbum* dicitur non fit. Hic latet arcana quædam secretioris Mysterij ratio, quâ docemur Joannem non tam voce, quam opere locutum. Et verè in Joanne loquebantur omnia. Solitudo, in quam se abdiderat, vox erat; vestitus è pilis camelorum & Zona pellicea circa lumbos ejus vox erat: *Locustæ & mel sylvestre, quod edebat, vox erat:* pœnitentia, quam subibat, & quod etiam alijs prælucebat, exemplum, vox erat. & hinc Evangelistæ calamo rectè dicitur: *factum est Verbum Domini super Joannem*, non autem *dictum*; quia magis incubuit illi *facere*, quam *dicere*. Unde bene Chrysologus ferm. 167. sic de Joanne: *Erat Joannes totus vox, non ore solum sed vultu, vestitu, toto corpore, totoque animo DÆUM sonabat.*

Qualis vox olim in deserto Joannes erat, talem nos vult DÆUS etiam habere modò in deserto hujus mundi; vult, ut simus vox *Oris*, alios ad bonum hortando, Christum confitendo &c. Verum non tantum *Oris*, sed vult, ut simus etiam vox *Cordis*; *corde & opere illum diligenter.*

§ 4.
Homines
defacti in
mundi de-
se
rto ple-
ri que nuda
ox Oris.

diligendo. Sed, proh! quām pauci æmulantur Joannem! plerique enim philomelæ similes sunt, de qua ille: *Vox, es, prætereaque nihil.* Vox, sed nuda oris tantum quales erant Pharisei & Scribæ, de quibus Christus, Matth. 23. v. 2, *Dicunt, Et non faciunt.* Quasi diceret, inquit Cornelius hic: *bene loquuntur, bene judicant, sancta docent, sed male vivunt, tum quia exemplo suo alios scandalizant, Et ad violandam legem impellunt.* Contra ejusmodi inanies *Oris* voces, vox & verba Christi stant Matth. 7. v. 21. *non Omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum; sed, qui facit voluntatem Patris mei &c.* Consequenter & meam: Nam Patris & Filii eadem est voluntas; *Regnum enim Cœlorum sola verborum officia non obtinet* (inquit S. Hilarius apud Cornel.) *de nostro est beata eternitas promerenda, prestandumque aliquid de proprio.* Unde S. Chrysostomus: *qui, inquit, non conversatur secundum verbum Christi, non intrabit in Regnum Cœlorum.*

§ 5.
Deus vult
cor gestari
in humero
ad indicandum, ut si-
mus vox
Cordis &
Operis.

Romani veteres pro Nobilitatis insigni Cor aureum gestabant in pectori, quod nulli præterquam Nobili sangvine prognato licebat gestare. Vult & Deus à Christianis ut eleto & Nobiliori populo suo Cor gestari. Sed ubi? Respondet Jermias 31. v. 21. *Dirige cor tuum in viam redam.* Septuaginta Interpretes habent: *Da cor tuum in humeros.* In humeris, non in pectori, ut genuinae Nobilitatis insigne, vult Deus cor gestari. At nunquid Cordis locus est in pectori; cur ergo in humeris ferendum? Causam symbolicae hujus gestationis reddit S. Hieronymus hic: *significavit DEUS, quod cogitationes & verba debent operibus conjungi.* Quod est tantundem, ac

si diceret: Christianus non debet solum esse vox Oris & Cordis, sed & operis. Putasse hanc Hieronymi doctrinam sufficienter exprimendam fuisse, si cor electis dandum fuisset in Manus, prout S. Augustinus cum corde inflammato in dextera pingi solet. Verum profundius hic latet Mysterium, dum cor dare jubemur in humeros. Tandem ubi prius rationem inquisiero, cur Salvator post Petri ore tenus factam Confessionem, & manifestatum cordis amorem, & propter utrumque traditas ipsi claves, concessionem habuerit, de cruce bajulanda. Ediderat Apostolorum Primicerius fidei suæ professionem ad Cæsaréam Philippi, & Apostolorum Collegio praeponi meruerat. *Tibi dabo claves.* Matth. 16. Cum ecce cœpit mox Dominus sermonem de abnegatione sui, & tollenda in humeros cruce instituere: *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum & tollat Crucem suam.* v. 24. Et paulò post v. 27. *Filius enim hominis venturus est &c.* Et tunc reddet unicuique secundum operasua. Cur confessio ni Petti subjungit Salvator abnegationem, & ad hanc sequaces animat spe mercedis & secuturæ retributio nis? Potuissent cogitare Apostoli, & circumstantes Auditores, sufficere ad salutem, si quis corde credat & profiteatur ore Christum esse Filium DEI vivi. Ad hunc errorem præcavendum, instruendosque fidèles, quod præter vocem Oris & Cordis, Operum insuper requiratur, subjunxit: *Si quis vult &c. tollat Crucem suam.* Crucem tollere, hoc enim verò est: *Cor dare in humeros;* seu: *vocem esse Operis.* Verus amor, non nisi passionibus probatur, S. Chrysost. serm. 18. Conceptus hic S. Chrysostomi est causam red dentis, Cur post Confessionem Fidei subjun-

subiungatur bajulatio Crucis : Confessus erat Petrus Christum esse Filium DEI ; nè autem ad salutem hoc sufficeret , adjunxit ad hoc opus esse sui abnegationem . Et Crucis bajulacionem . Nè verò Crucis portatio plus nimio Cor affligeret , ipse præmij loco recreavit addens : Filius hominis reddet unicuique secundum opera ejus . Quasi diceret : supremus Musices Magister , non delectatur , nec remuneratur solas voces Oris , nec solius Cordis ; sed simul voces operis . Opera enim illorum sequuntur illos . A poc . 14 . v . 13 .

§ 6.

In deserto
hujus mun-
di non de-
funt voces;
sed ut plu-
rimum pes-
simè sonan-
tes vitio-
rum 1. Jo-
an 1. v. 19.

1. Joan. 5. v.
19.

Non est quidem in hoc mundi
deserto defectus vocum operum ,
sed non parium S. Joannis ; nempe
virtutum , cuius concentu (teste
Tullio) nihil est suavius ; sed vitio-
rum aures Divinas ferentium , &
peccatum sonantium , Habere enim &
vitia , quibus mundus plenus est (to-
tus mundus in maligno positus est)
voces suas , planè indubitatum est ;
cum id sacræ paginæ & SS. Patres
compluribus adstruant testimonij .
Sic apud Prophetam Jonam de Ni-
nive (Jonæ 2.) ejusque incolis peccatoribus queritur Deus : Malitia
ejus ascendit coram me . pro quo Se-
ptuaginta legunt : Vox seu clamor
malitiae ejus . Et de Sodomitis , Ge-
nes . 18. Clamor Sodomorum & Go-
morrhæ multiplicatus est , & peccatum
eorum aggravatum est nimis . Quasi
dicat : Peccata Sodomæ ita enormia
sunt & impudentia (hoc enim teste
Augustino clamor significat) ut ubi-
cunque & publicè in omnium ore
vercentur , adeoque fama (ut Vata-
blus legit) eorum per Angelos in
Cœlum sparsa ad me pervaserit .
Quam horrenda autem vox & clamo-
rit sit ille peccatorum , declarat
David poenitens , Psal . 37 . cum rugi-
tu Leonis proferens : Rugiebam à ge-

mitu cordis mei . Porro , quantò ma-
jora & enormiora sunt peccata , tan-
to enomiores edunt voces , ita ut
celari & abscondi non possint . Clamo-
rem (inquit S. August . L . i . in Genes .)
solet ponere Scriptura pro tanta impuden-
tia , ut nec cercundia , nec timore
abscondantur . Cujusmodi apud D .
Thomam tria ; in Catechismo P . Ca-
nisij quatuor ponuntur in Cœlum
clamantia peccata , sic per Antonio-
masiam dicta : Homicidium nempe
voluntarium , Sodomia , Oppressio
pauperum , Operariorum merces
defraudata . Nil quidem peccato-
ribus potius , quam peccata occulta-
re ; nihilominus silentे lingvā cla-
mant , & mirabiliter propalantur .

Stupendum est , quod Stengeli-
us Noster refert . (a) Seniculus qui-
dam Lucernæ Helvetiorum in hospi-
tali jam longam ætatem vixit , ab
omnibus habitus simplex & reetus .
Accidit aliquando , ut otiosus inter
reliquos vetulos & vetulas præ fori-
bus domus hospitalis assideret , ut
istis in more est . Ibi eis diversa , fa-
bulantibus per longissimam Urbis
plateam , horrificus descendit Mo-
lossus demortui hominis caput ore
ferens . Quo cane cum Capite con-
specto tremor cunctos & horror in-
vasit ; sed canis imperterritus per
median stantium , sedentiūque
turbam irrumpit , & seni jam septua-
genario aut octogenario calvum
cranium in sinum ponit , eoque re-
lido tacitus abit . Admirantur fa-
tum insolens omnes , & senem in-
tuentes obstupescunt ; qui & ipse
consternatus surgit , palamque fate-
tur : ante 30. annos puerum à se stu-
diosum in sylva vicina occisum , eð ,
quod sperasset , se pecunias apud il-
lum inventurum ; sed non nisi tres
cruciferos reperisse ; corpus in fos-
sam abjecisse : agnosceré autem ca-
put

§ 7.
(a) Divino
rum Judi-
cior . T . 4 . l .
52 . n . 2 .
Vox pec-
catorum.
horifica

put occisi nunc ad se delatum; quia a puerō ad DEI tribunā citaretur. Captus igitur, & in tam sera ætate capite plexus est, ut supplicio suo doceret: & mortuos, eorumque os fa vociferari & clamare. Ecce! hoc est, quod dixit Christus Hierosolymam ingressus, Lucæ 19. *Amen dico vobis, si hi tacuerint, lapides loquentur.* Phariseis hoc dictum, volentibus turbæ Hebraeorum festivum Osanna impedire. Idem tibi dictum puta sanguinarie parricida, scelestè fur, & inique raptor, turpissime Sodomita, pupillorum ac viduarum injuste Oppressor, si tua flagitia tu tacueris, lapides, elementa, bestiæ & irrationales creaturæ loquentur & divulgabunt, sicut divulgâsse, passim in historijs legere est. Dicant, quod volunt pupillorum Præsides; Viduarum iniqui Oppressores; familiæ, & servorum, defraudatores, operariorum & Mercenariorum, Salarij seu debitæ Mercedis retentores: pallient, quantum possunt fraudes & injurias: aliena apud se vi retineant; illa tamen vel ex ipsa arca & crumena clamant, instantque: *Cur me detines? cur me captivas, cùm tua non sim, sed pauperum, quorum sudor & sangvis in me collectus adversum te bullit, non secùs ac homines occisi cadaver ad præsentiam occisoris?* Hoc namque

peccatum homicidij permagnum esse docet Divinus Sapiens, dum Ecclesiast. 34. ait: *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario* (addo ego, pupillo & viduae:) *fratres sunt.* Uterque enim vitam aufert alteri; ille percutiendo &c. iste negando, videlicet media conservandæ vitæ necessaria; Unde fame, ærumnisque miseros sensim perire ac tabescere est necessum. *Ecce (Jacobi 5.) merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. Nonne lacrymæ viduae* (idem est de pupillis &c.) *ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas?* Ecclesiast. 35. à maxilla (pergit ille) *ascendunt usque ad Cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis.* Planè non delectabitur, sed, ut Rabanus loquitur, gravissimè offendetur, indignabitur, & puniet. Absit à Nobis, ut tales voces simus, sed qualis Joannes, virtutum omnigenarum, bonorumque & D E O placentium operum, quibus delectatur Sponsus. *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis.* Cantic. 2. Ut in die illa audire mereamur dulcissimam vocem illam: *Venite Benedicti &c.* Matth. 25,



PRO-